



I. N. J.

PRAEFAMEN.



Quod in vita civili, idem in pene multis rebus physicis valere potest dicitur: Nimia familiaritas parit contemptum. Familiare frigus est, resque abiecta videtur hinc glacies, quod annuatim per integram hyemem occurrat, fato, ob molestiam diuturnam, plerisque inviso. Indis quibusdam plane erat fabula, cum narraretur, in Europa quotannis aquas solidum in corpus, magnis molibus ferendis aptum, transmutari, quod tale quid apud ipsos, ob mitius coelum, non contingeret. Nostratibus omnibus hæc nota sunt. Sed paucis. Omnes conqueruntur de frigoris acrimonia, omnes adspiciunt nivium floccos, teruntque pedibus, pluribus quoque glacies sua lævitate est exitiosa. Pauci quid hæc sint cogitant. Fuere tamen qui pretium rei vili posuerunt, dignamque ingenio suo iudicaverunt viri summi non uni, e quibus ingens in rebus physicis lumen illud, *Boylium*, nominasse sufficiat. Itum vero, ut alias in sublimibus solet, & hic loci est in partes, his novi corporis accessionem, illis ablationem iam præsentis, pro introducendo frigore urgentibus, istis plane ad occultas qualitates,

P p

tes,